



Universitätsbibliothek Paderborn

Viridarivm Sanctorvm

Ex Menæis Græcorum lectum, translatu[m] et Annotationib. similibusq[ue]
passim, historijs Latinis, Græcis; editis, ineditis illustratum

Rader, Matthäus

Avgvstae Vindelicorvm, 1607

S. Svsanna Qvæ Et Ioannes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43013

ANNOTATIO.

Non est hic notus ille Arsenius Arcadii & Honori magister, quo de Latini **xiiii.** Cal. Augusti, & Græci **viii.** Idus Maii in sanctorum fastis agunt. Hinc ad discriminem illius, hic Arsenius in Latro nominatur.

**¶. Decēb. S. SUSANNA QVÆ
ET IOANNES.**

Hæc Maximiani Imperio vixit, ex Palestina, patre Idololatra, matre Iudæa oriunda, quorum impietatem amborum detestata ad Christum confugit, sacroque baptismatis fonte à Siluano Episcopo lustrata, parentibus morti concedentibus, opes omnes in pauperes effudit, seruosque & seruas omnes manu misit. Ipsa virili ueste sumta, ad venerandum quendam patrem se contulit, rasaque in monachum Ioannes est indigitata. Vbi cum vicesimum ipsum annum peregisset, calumniā est passa. Monacha quædam ventitare ad cœnobium solebat, visamq; illam putabat virū esse, atq; ad lasciuiam solicitabat: repulsam passa à Ioanne, cœpit illam criminari, perinde quasi vim sibi inferre esset conata: Susanna seu Ioannes crimen non refutauit, sed quasi rea se ad satisfaciendum pro illius voluntate para-

pata tam ostendit. Quod cum Episcopus Eleutheropolitanus intellexisset, quid inquam, in monasterio designatum dicere-
tur, Pr̄epositum vehementer corripuit; qui sacra illam ueste monachi exuere decreuit. Hic Susanna inter angustias deprehensa, petiuit ut binæ virgines, binæq; diaconissæ fæminæ vocarentur; quibus se quæ esset a-
peruit. qua re attonitus Episcopus Susan-
nam quoque Diaconissam creauit, cæte-
risque præesse voluit. Multa verò memo-
randaque miracula hæc patrauit. Prætor Alexander, cum Eleutheropolim venisset,
& Idolis adoleret, hæc sua sponte accessit,
& solis precibus simulacra in terram deie-
cit, qua de re postulata, prætori sistitur, pa-
pillisque multatur, sed diuinitus curatam
cum carnifices ipsi viderent, Christo nomi-
na dedere, capitisque supplicium pertulè-
re. Sed beata Susanna plumbum igne li-
quatum, perque canalem in os iufusum
per intestina, sine vlla corporis offensa ef-
fudit. Virgis cæsa, & rogo imposta Deo
spiritum commendauit.

ANNOTATIVNCVLA.

DE fæminis viros cultu simulantibus supra ad
Sanctæ Apollinaris, fusè actum. Huius quo-
que

que vita in menologio 20. Septembris describitur,
quo die Martytol. Rom. eamdem commemorat.

18. Dec²b. DE S. MODESTO AR-
CHIEPISCOPO SEV PATRI-
ARCHA HIEROSOLY-

MORVM.

Catholicis parentibus hic natus Seba-
stæ, patre Eusebio, matre Theodula,
quæ non pariebat, precibus amborum da-
tus est hic filius, (eximius postea pater,) à Deo, post quadragesimum initi matrimo-
nii annum. Nato vero istoc, pater accusatus
est apud Maximianum, quod Christum
profiteretur, comprehensusque in custo-
diam datus. Quod cum Theodula intelle-
xisset, & illa pariter cum filio ad carcereim
properauit, In quo ambo Dominum pre-
cati, in manus angelorū animas in pace e-
diderunt, martyres iam voto effecti, quos
carceris custodes cum defunctos reperi-
sent, puerum inter mortuos viuum iacen-
tem, ad Maximianum detulerunt, quin-
tum mensem primum agentem, quem ut
liberalem & amabilem Imperator vidit, cui-
dam ex ordine senatorio magnâ cura edu-
candum commisit, ut qui dignus videretur,
quem